

XII.  
NOTÆ ARGENTINENSES

*In Epistolam amici ad amicum germanice conscriptam contra censuras Heidelbergensem & Argentinensem, quæ in Carlsruh mense Februario 1781 prodiit.*

---

1.º

AUCTOR epistolæ in facti expositione animum prodit ita exacerbatum, ut Lector quivis facile agnoscat, eum non tam sensus aliorum referre, quam suos eundem ipsis affingere.

2.º

Vera sint etiam quæ de Professore Badensi affert elogia; nunquam tamen eum omni ex parte innocentem probabit, cum is theses suas, antequam typis excuderentur, non exhibuerit Superiori ecclesiastico, prout mos est in scholis catholicis, & leges jubent. Videatur Constitutio Leonis X. *Nos ne id.* lata in Concilio lateranensi, renovata in tridentino, & à Pio IV. in constitutione *Dominici* die 24 martii anno 1564.

3.º

Reprehendit suâ p. 5ª. in hac collectione 133ª Theologos Heidelbergenses, quod proscripserint hanc propositionem Badensem 12.ªm . . .

*Amor sui est unicus, ab ortu inditus, ac fundamentalis impulsus hominis . . .*

Aitque eorum ignorantiam vel inde patere, quod offensi sint hâc voce: *Unicus*, licet plures philosophi idem